

barts MS. abr 1925

185

D. D.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

BONO GUSTU, IN VER-
TENDIS LIBRIS APPRI-
ME NECESSARIO,

QUAM.

ANNUENT. AMPLISS. FAC. PHIL. ABOËNS.

PRÆSIDE

Mag. JOH. BILMARK,

HIST. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

PRO GRADU MAGISTERII

PUBLICE VENTILANDAM PROPONIT

LAURENTIUS WADELL,

SMOLANDUS.

IN AUDIT. MAJ. die XXIV MAJI A. R. S. MDCCXCII,

Horts ante meridiem solitis.

ABOËS, Typis FRENCKELLIANIS.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REGII GOTH. DICASTERII PRO - PRÆSIDI
NEC NON
SUPREMI REGII TRIBUNALIS MEMBRO,
PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO LIBERO BARONI,
*D:no AXELIO JOHANNI
von KÖHLER,*

MÆCENATI MAGNO,

Quamvis temerarium haberi posit, TUUM Perillustre No-men tantillæ, qualis præfens est, præfigere opellæ, spem tamen foveo certissimam, Te, Perillustris Domine Liber BARO ac PRO-PRÆSES, facilem, qui Tuus generosus est am-
mus, veniam pietati meæ, hoc modo suam, qua Te ob-
insignia in paternam domum collata beneficia, supplex pro-
sequor, venerationem testaturæ. Serena itaque fronte fusci-
pias Specimen hoc Academicum, TIBI humillime consecratum,
measque spes TIBI in posterum etiam commendatas gratioſiſime
finas. Mihi vicisim nihil prius aut posterius erit, quam pro
TUA ac Perillustris Familiae TUÆ felicitate ardentissimis Deum
O. M. fatigare precibus. Ad cineres usque permanfurus

PERILLUSTRIS AC GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

cliens devotissimus
LAURENTIUS WADELL.



PRÆFATIO.

Quum rarissime contingat, ut quis litterarum characteres ab alio exaratos, sibique propositos, exacte adeo imitari queat, ut, quantamcunque adhibeat follertiæ, inter utramque scripturam aliqua tamen non appareat differentia, multo autem adhuc sit difficilis, pictam quandam ab excellente præfer-
tim artifice imaginem similibus coloribus & paribus penicilli ductibus in alia ita delineare tabula, ut di-
versa utriusque pictoris industria se non prodat, quam-
vis in typo non aliæ postulentur venustates, quam
quæ in prototypo coram conspicuntur; nemo miretur,
interpreti, alienum scriptum in suam translaturo ver-
naculam, & Auctoris sensum aliis expressuero verbis,
permultas devorandas esse difficultates. Docet hoc ipsa
interpretationis indoles, nec diffitentur, quotquot peri-
culum ejusmodi operis fecerunt. Il est constant, inquit
De la MOTHE Le VATER, que presque toute sorte de tra-
ductions font perdre beaucoup à leurs Originaux, sur tout
s'ils sont excellens, & qu'il en est souvent comme de ces vins

A

trans-

transvaséz, dont le plus spirituel s'évapore en passant d'un vaisseau dans un autre (a). Non equidem ignoramus, varias ab Eruditis passim proponi regulas, in libris recte vertendis observandas; sed, nisi fallimur, scientiae totum hoc non est opus; quare versionem feliciter adornaturo aliis quoque opus est adminiculis. Quocirca cum de influxu boni gustus in versiones conficiendas parcus egerint Eruditi, rem haud ingrata me facturum credidi, si his ostenderem pagellis, quam Interpreti necessarius sit bonus gustus; multum me lucratum professus, si meditationes mee palato Be-nevoli Lectoris non obveniant prorsus insipidæ.

(a) Vid. *Oeuvres de la MOTHE*. Tom. II. part. II. p. 16.

§. I.

Sicut scripti alicujus *versio* consistit in ejus translatione a lingua minus nota in aliam pluribus familiarem, eum in finem facta, ut illius rudes, hanc vero callentes, scriptum illud intelligent; ita patet, præcipuum Interpretis curam eo esse directam, ut genuinum auctoris sensum ex versione, æque ac ex textu autographo, percipient Lectores. Verba igitur Auctoris, quæ signa sunt ejus cogitationum, aliis ex sua lingua petitis, vel aequipollentibus, si fieri possit, vel saltem significatum quam proxime eundem habentibus, exprimet Interpres. Si vero animadvertis, se, verba pro verbis reddendo, notiores vel inanes vel deceptrices, vel

vel auctoris menti, aliunde perspectæ, non satis congruas Lectoribus propinaturum, a rigida verborum, non certe numerandorum, sed potius appendendorum, observantia nonnihil recedet, & idonea quadam periphrasi sensum Auctoris adsequi studebit. Sicut enim in vita communi characterem hominis, non ab externo ejus habitu, sed ab ejusdem indole & actionibus moralibus æstimamus; ita in libris vertendis, non solis inhærebimus verbis, sed mentem Auctoris idonea exprimemus ratione. Immo aliorum exspectationi non defuturus Interpres, ad formam auctoris, cui se adjunxit comitem, ita se componit, suaque efficit opera, ut ille totus sub alieno delitescat habitu. Egregie omnino in hanc rem commentatur Illustris Domina DACIER: *Une fidélité trop scrupuleuse pour conserver la lettre, ruine l'esprit, ce qui est l'ouvrage d'un froid & stérile génie; au lieu que l'autre en ne s'attachant qu'à conserver l'esprit, ne laisse pas dans ses plus grandes libertés, de conserver aussi la lettre, & par ses traits hardis, mais toujours vrais, la traduction devient non seulement la fidèle copie de son original, mais un second original même; ce qui ne peut être executé que par un génie solide, noble & fécond* (a).

(a) Vid. *La Préface sur la traduction d'Homère*.

§. II.

Antequam in rem veniamus præsentem, de gustu illo, cuius primaria in hoc argumento est confide-

A 2 ratio,

ratio, nonnulla erunt præmittenda. Magnam omnino vim, ad æstimandam rerum vel pulchritudinem vel deformitatem habet communis hominum natura; quæ sicut ex anima & corpore, sensum participe, est conslata; ita non obscuras utriusque illius partis vel delectationes vel offendiones prodit, illas quidem, quibus in res sibi jueundas fertur, has autem, quibus res sibi molestas fugit, saltem ab his se avertit. Sicut igitur experientia docet, nec palato quævis saporum genera, nec naribus quasvis odores, nec oculis omnes promiscue colores, nec auribus denique quoslibet sonos æqualiter convenire, sed memoratos sensus aliis suaviter adisci & quasi pasci, aliis vero offendendi & ex his tedium percipere; ita eadem constat magistra, quod simili modo se habeat animus noster, cui rerum, se offerentium, aliæ placent, displacent aliæ, appetit quasdam, nonnullas fastidit. Nihil tamen minus inter istam beni & mali, jueundi ac molesti electionem, quam suo quisque sensum extenorū modulo metitur, atque hanc pulchri in natura, in disciplinis & artibus perceptionem magnum intercedit discrimen, quod altera ab organorum corporis constitutione dependens, pro diversa horum conformatio[n]e variare, & modo easu, modo aliis aliquis rerum fluxarum impressionibus regi soleat; altera autem, quia una est caussarum, quibus absolutio pulchri continetur, ratio, certa ac constante mentis æstimatione decernitur. Ut vero hæc tam multitudinis,

dinis, quam doctorum consequatur assensum, oportet eam legibus, a natura sanctis, esse consentaneam, aliaeque hujus opificis exemplo atque instituto conformem. Opinionum igitur commentis, quæ dies conficit, non insistendum, sed beneficæ ac pulcherrimæ Naturæ operum, quorum præstantiam tempus confirmat, contemplationi vacandum, ut habitum nobis comparemus, judicia de rebus obviis, harum indoli conformia, ferendi. Hujus rerum tam ad ipsarum, quam ad hominum naturam relationis promta & secura animadversio, *Boni Gustus* nomine venire solet. In eundem fere modum *Gustum* describit *Illustris MONTESQUIEU*: *Le gout, inquit, n'est autre chose que l'avantage de découvrir avec finesse & avec promptitude la mesure du plaisir que chaque chose doit donner aux hommes* (a).

(a) Vid. *Essai sur le Gout*, p. 2.

§. III.

Vox *gustus* sensu, quem modo indicavimus, sumta, veterique Latio ferme ignota, Eruditis recentioris ævi perplacuit e[st] jucundam similitudinem, quæ inter gustationem rerum sapidarum, & gratam aliarum tam naturalium, quam humanarum, menti oblatarum æstimationem intercedit, & quæ metaphorica hæc locutione multo & suavior & vividior redditur, quam si verbis exprimeretur propriis. Tametsi autem hæc facultas, quam *bonum dicimus gustum*, quid aptum

aptum sit & cohærens, quid temporibus, locis, personis & arguento conveniat, in universum definiat; præcipue tamen eximum usum præstat artibus liberalibus ac studijs ab humanitate nomen indeptis: in his enim, quid pulchrūm sit, quid absolutum, perfectumque, quid jejunum, quid mediocre, tacito quodam sensu percipit & decernit, quemadmodum in scientiis, quid verum sit falsumve, scrutatur intellectus (a). Enimvero sicut omnium facultatum animæ nostræ est mutua quædam & amica connexio, & rerum disciplinæ, perinde ac res ipse, in natura obviæ, perenni constrictæ sunt necessitudine; ita quoque nec in artibus intellectus, nec in Philosophia gustus nullas sibi vindicat partes; siquidem nec in hac pulchri (b), neque in illis veri (c) ratio erit negligenda. Haud parum tamen differt utraque hæc facultas, ratio scilicet & bonus gustus; sicut enim illa distinctas rerum ideas sibi formare studet; ita hic sensatio, ab objectis impressa, nititur; in omni autem sensatione, etiam clara, est aliquid confusi & indistincti, licet enim unus sensus se satis clare ab aliis distinguat sensibus, & unum sensibile ab aliis sensibilibus; in quolibet tamen sensibili est quædam confusa pluralitas, cuius singulæ partes nonnisi confuse percipiuntur (d). Quamvis autem gustus ita de confuso aliquid trahat, mentem tamen ad percipiendas rerum relationes ac connexiones, & hinc porro ad id quod aptum vel ineptum, pulchrum vel de-

forme detegendum magis interdum excitat, quam firmissimæ solent demonstrationes (e).

(a) In hac proinde dissertatione *gustum* strictiori sumimus significatu, qui olim præterim, latius patens, scientiis etiam applicabatur; adeo ut bonus ei tribueretur *gustus*, qui vim rationum, ab alio in medium allatarum, percipiens eisdem asurgeret. Communiter autem sensus moralis ad *gustum* nunc referri solet.

(b) Scilicet placet veritas non solum ut *indubia* & ignorantiae victrix, sed imprimis ob suavissimum boni sensum inde provenientem.

(c) Gustui itaque mentali ceu sapidum obvenit quidquid ita est expressum, ut sua cujusque natura postulat. Bene hoc explicat Cl. BOUHOURS: Selon la doctrine d'Aristote tout ce qui sera imité parfaitement, sera agréable, quand même ce seroit quelque chose d'affreux. Le plaisir, qu'on a de voir une belle imitation, ne vient précisément de l'objet, mais de la réflexion, que fait l'esprit, qu'il n'y a rien en effet de plus ressemblant; de sorte qu'il arrive en ces rencontres, qu'on apprend, je ne sais quoi, de nouveau, qui pique & qui plait. Vid. La maniere de bien penser dans les ouvrages d'esprit p. m. 125, 126.

(d) Confusæ huic perceptioni originem debet illud Gallorum, Je ne sais quoi aliquid admirantium, effatum, itemque norissimus ille MARTIALIS versus Libr. I. Epigrav. XXXIII: Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare — Hoc tantum possum dicere, non amo te.

(e) Hinc

(*) Hinc apud Cl. BOUHOURS libr. cit. p. 316. legimus: *Le bon gout est le premier mouvement, ou, pour ainsi dire une éspèce d'instinct de la droite raison, qui l'entraîne avec rapidité, & qui la conduit plus sûrement, que tous les raisonnemens, qu'elle pourroit faire.*

§. IV.

Scriptum quoddam consignaturus, præsumitur alii suppeditare velle notitiam rerum sibi perspectarum; sedulo itaque & quantum sua fert conditio cavit, ne quidquam in medium adferat, rationi, experientiæ aut bono gustui minus consentaneum, aut cuius obscuram tantummodo notionem sibi formaret lector. Nemo autem non perspicit, sortem auctoris meliorem esse ejus conditione, qui in aliam lingua scriptum convertet: Ille enim occupatur argumento, sibi præcipue familiari; potest pro lubitu notiones sibi occurrentes vel adoptare, persequi, &c, quem velit, habitum eis induere, vel plane rejicere; potest etiam lingua, quam aptissimam judicat, uti, & suo cuncta accommodare gustui. Sicut enim ad scribendum sponte sua se accinxit; ita cogitationum & locutionum eatenus est arbiter, quatenus sua arguento non noceat libertas. At penes scripti hujus Interpretem nec rei nec vocabulorum nexus est arbitrium: hujus enim est officium, suum preesse sequi auctorem, & tam sensa ejus animi, quam stili temperamentum apte exprimere; immo muneric sui partes recte impleturo non sufficit languidior, sed nonnunquam major ac vividior

vividior ei erit boni ac perfecti sensus, quam ipsi auctori, id quod non pauci, præcepta litterarum elegantiorum tradentes, rotunde adfirmare non dubitarunt. Praeter hæc præcipua ab eo requiritur sagacitas, qui monumenta veterum scriptorum, præsertim classicorum, ut cogitandi, ita etiam loquendi modo ab eo, qui postea invaluit, diversissimo intentum, imprimis si lingua pridem emortua suos consignarunt libros, vernacula reddere instituit. Hinc quoque factum novimus, ut cum multi ac præstantissimi sint Auctores primigenii, paucis tamen bonis interpretibus omnis gavisa fuerit ætas. Hoc inde etiam provenisse arbitramur, quod alii dictiones & sententias veteres, vel saltem peregrinas, ad suos mores iudicique formam traducerent, alii autem verba Auctoris totidem verbis reddendo & suæ linguae habitu ad alieni sermonis genium transformando, sensum sui autographi non tam adumbrarent, quam saepe obumbrarent, nec tam verterent, quam stilo insulso perverterent.

§. V.

Nos non fugit, regulas quasdam, easque non contemnendas, versiones librorum adornaturis præscribi. Enimvero quum ipsi autographi generalia quædam in scriptis suis consignandis non sequantur præcepta, sed meditationes suas litteris ita mandent, prout hinc argumenti ratio, locus, tempus, aliæve circum-

circumstantiae, inde ingenium, judicium atque linguæ indoles suggerant; satis patet, interpretem a regulis sibi præscriptis, in locis præsertim ambiguis ac nodosis explicandis, desideratum subsidium non semper experturum. Cui nonnunquam accedit, quod licet interpres linguam autographi probe calleat, vernaculo tamen tam sermone pure & apte quid scribendi facultate, cui videlicet comparandæ studium & operari nunquam impendit, destituatur; plerisque autem defuisse videtur bonus gustus & sapor recti, qui tantum valet, ut, qui eodem pollet, licet ceteroquin mediocre eruditioñis supellestili fuerit instructus, palmam tamen eruditissimis Viris, in libris præsertim vertendis, non raro præripuerit.

§. VI.

Ne vero boni gustus præstantiam in vertendis libris ultra suum commendasse videamus meritum, sententiam nostram exemplo, probationis vicem tuituro, extra dubitationis aleam nonemus. Scilicet ex judicio Illustris J. D. MICHAELIS (a), harum rerum æstimatoris peritissimi, Interpretatio Sacri Codicis a B. LUTHERO facta, plerisque recentioribus multum præstat, licet harum auctores eruditione atque linguarum Hebrææ ac Græcæ peritia eum longe superaverint; bono autem gustu, quo ille pollebat, non æque valuerunt. Luculenter hoc patet, si inter se comparemus versiones Libri JOBI a Lauda-

to

to LUTHERO, & ejusdem scripti interprete omnium eruditissimo Alberto SCHULTENS, confectas; quarum illa, tamethi prisca sermonis Germanici habitu vestita, multo gratius sapit, ac lubentius legitur, quam hæc; cuius e Latina in linguam quandam recentiore translatæ lectionem vix quisquam posset concoquere. Quod mirum nemini obveniet; cum enim omnem doctrinam & sagacitatem ad id conferret Schultensius, ut in radicibus vocum Hebraicarum notiones earum inveniret primitivas atque emphaticas, easque, licet cum ipsis vocibus parum sociales, in sua adoptaret versione; contra ea autem LUTHERUS in sua versione non tam verba, nedum omnes imagines, quas in illis perspicere sibi videntur Etymologi, quam potius sententiam Scriptoris autographi exprimeret. Quoties igitur judicavit, sensum alicujus sententiæ litteralem Lectores fore offensurum, idoneam adhibuit periphrasin, & ubi Interpretes in diversos abierunt sensus, eum adoptavit, qui ipsi videbatur pulcherrimus. Hanc tamen libertatem, pro ea, qua Divina oracula tractari debent, modestia, longius non extendit, quam ad locutiones & res, rationis ac sensuum humanorum æstimationi subjectas.

(a) Vid. J. D. MICHAELIS deutsche Uebersetzung des alten Testaments der ersten theil in Præfatione.

§. VII.

Præterea nisi in applicatione plerarumque Interpretationis regularum bonus promiceret gustus, verbo evadet

evadet jejuna; quod uno altero ve ostendemus exemplo. Notum est, inter regulas Interpretationis hanc haberi ferme primariam: *Sensu verborum proprio tamdiu erit inharendum, quamdiu inde recedere, nulla nos cogit necessitas.* Facilis est haec theoretica praeceptio, cuius canonica exsecutio difficultate non caret. Quis enim est proprius verborum sensus? Non ille semper talis habetur, quem vel etymologia vel analogia subministrat; quum primi nomenclatores Philosophiam non jugiter consuluerint. Immo, licet fax Critica in dubiis locutionibus iterum iterumque quatiatur, lumen tamen aut nullum aut obscurum fundit. Si porro queratur: quando cogens illa adsit necessitas? Responderi solet: dum ex versione litterali aliquid vel absurdum, vel iniquum, vel etiam ineptum sequitur. Quid vero? si nihil horum occurrat interpreti, an verba verbis reddendo certus esse potest, se genuinum auctoris sensum in proposito loco fuisse adsecutum. Profecto non raro accidit, ut voces clarissimae & phrases planissimae notionem fundant obscuram, quod idiotismos linguæ, qua usus est auctor, sibi non satis perspectos habet Interpres. Sic 1. Sam. XXIV: 4. occurrit phrase *tegere pedes suos*, quam Svecus interpres alios imitatus, juxta verba reddidit: *betäcka súa fötter.* Si vero queratur, quid fecerit Rex SAUL, *pedes suos tegens?* apta paucis obveniet responsio; bonus autem gustus nos admonet, hac phrasi indigitari: *Saulem cubitum ivisse;* partem enim vesti-

vestimenti non nisi Sauli dormienti abscondere potuit DAVIDES, in eandem speluncam ingressus. Quis porro dicam scriberet Interpreti, simplicem hanc & argumenti indoli exesse convenientem explicationem priori litterali, aut alii communiter receptæ, sed minus congruae, in sua versione substituent? Similiter dum Luc. XVIII: 25. res impossibilis designatur *transitu camelī per foramen aciculæ*, gustus mihi suggerit, voce *cameli* hoc loco indigitari non animal ita vocatum, sed funem nauticum Sveti. *Ankar-tog*; utramque significationem in lingua Graeca habet vox *ακανθος*. Pari modo responsum Pytheæ Delphicæ Atheniensibus deliberantibus datum: *ut moenibus ligneis* se contra Persas munirent, satis claram primo videbatur, at quid mœnia lignea designabant, THEMISTOCLES sagacitas, boni gustus filia, acute contingiebat.

§. VIII.

Opinantur non pauci, se in suam vernaculaam haud operose translaturos aliorum scripta, modo horum linguam ex præceptis Grammaticalibus & vocum radices ex idoneis didicerint Lexicis. Sed hi fere sunt, qui ignorent, potestates multorum vocabulorum nunc esse deperditas, item ex peculiari vocis eujusdam usu oriri, præter primarium, notiones quasdam socias, in alia lingua eidem non accedentes; nec sunt experti, in stilum Auctoris ex aliis aliisque rebus cir-

Denique quum quævis interpretatio continetur sententiarum, verbis expressarum, intellectu, earumque apta explicacione; utramque hanc facultatem partim adjuvat, partim moderatur gustus. Si-
ve enim quæratur: quomodo mens auctoris intel-
ligenda? Sive inter plures sensus, quorum singuli
speciem probabilitatis præ se ferunt, quis, ceu
genuinus, sit eligendus? rerum cognitio ac linguæ pe-
ritia pariter in promtu erunt. Quo enim quisque
minus habet salis & saporis, eo promptius adsenti-
tur eis, quæ proponuntur, & bono destitutus gustu
sua commenta pro auctoris sententiis non raro ven-
didat. Contra ea sepe contingit, ut dum animus
scientiis ac disciplinis probe imbutus, de vero sen-
su inter plures, quorum nullum plane improbat,
hæret dubius, bonus gustus perspiciat aptissimum.
Sollicite adhæc cavebit Interpres, ne ad genium
linguæ, in quam versio sit, ita transformetur alio-
rum scripta, ut nihil de genere dicendi proprio su-
persit, neu character auctoris, qui ex versione etiam
quadantenus erit cognoscibilis, penitus deferatur;
præsertim cum forma modusque verborum cum
rebus ipsis & genere argumentandi eam habuerint
connexionem, ut illæ intelligi, hoc consistere & re-
cte procedere saepe non possit, nisi versione ad e-
tymologiam verborum conformata. Quid autem
ad genium sermonis, quid ad characterem scripto-
ris

*) 14 (

cumstantibus reflecti lumen, ecque fieri, ut stilus,
quantumvis planus videatur, reconditum quandam con-
tineat sensum, vix melius quam bono gustu detegen-
dum. Quocirca monet ingeniosissimus GELLERT:
*Gesetz, wir haben uns eine Grammaticalische kentniss
der alten geworben; sind wir deswegen im Stande,
sie zu lesen, wenn wir uns nicht in ihren Zeiten
versetzen können, wenn wir nicht mit ihren Sitten,
Gewohnheiten, Meinungen, mit ihrer Religion, mit
ihrer Regierungs form in einer genauen Bekantschaft
stehen, wen wir ihr Land und seine Geschichte nicht
immer vor augen haben &c (a).* Peculiare est,
quod de se perhibet Celebris Philosophus, MOSES
MENDELSONN (b), sci icet quod Odas Davidicas
ex Hebraica in linguam Germanicam, quæ utra-
que ei fere sicut vernacula, translaturus, eas hoc or-
dine vertendas sumferit, prout Odarum argumen-
tum statui animi sui, vel hilari vel tristi, conveniret.
Attamen nec hoc modo, ut multis videtur, omne in
versione suâ tulit punctum; forte quod diversum es-
set DAVIDIS & MOSIS hujus temperamentum, &
incidentes casus dispari modo Regium & privati ho-
minis animum adficere soleant.

(a) Vid. *Vermischte Schriften 2 Theil* pag. m. 338
& 339.

(b) Vid. *Prefationem Versioni suæ odarum Davidis præ-*
missam.

ris sit referendum, quid, salva perspicuitate, ex vocabulis & dictionibus, ex tropis & imaginibus retinendum, generalibus nullis definiri potest regulis, sed pæne ex solo æstimandum erit gustu.

S. D. G.

